



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 83. An fidelis baptizatus contrahens ex dispensatione Papæ cum fidei suscipiat Sacramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

dicatur, posse non baptizatum suscipere Eucharistiam & matrimonium; cum id intelligendum de matrimonio in ratione contractus, & de susceptione materiali Eucharistiae, ut Castrop. l. c. vel dicendum cum Rebell. l. 2. de mat. q. 3. n. 16. Pont. l. 1. c. 6. n. 5. Papam ibi locutum non definitivè, sed dubitativè.

3. Resp. tertio: Matrimonium contractum inter fideles seu baptizatos est verum Sacramentum novæ legis, est de fide definitum in Trident. sess. 24. can. 1. contra Lutheranos aliosque sectarios; cum celebratum cum legitima intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est signum praeacticum ex institutione Christi gratiæ sanctificantis collata viro & mulieri debite illud suscipienti; quin & intuitu illius conferantur gratiæ Sacramentales seu actuales sane vel maximè necessariæ ad onera matrimonii, ferendæ; cum enim matrimonium sit vinculum perpetuum indissolubile, etiam cum conjuge sterili & morbida &c. foret jugum intolerabile, nisi Christus promissionem gratiæ annexisset ad patienter ferendum hoc onus, & concupiscentiæ ardorem sedandum, & proles pie educandas. Porro in eo, num matrimonium fidelium, non tantum in fieri, sed & in facto esse sit Sacramentum, AA. non conveniunt; affirmant Bellarm. l. 1. de mat. c. 6. Sanch. l. 2. d. 5. n. 7. Laym. l. 5. rr. 10. p. 2. c. 2. n. 4. Rebell. l. c. q. 4. moti præcipuè exemplo Eucharistiae. Negant Castrop. l. c. n. 3. Cönninck. d. 24. du. 2. n. 11. in facto esse verum Sacramentum, eò quòd Sacramentum sit signum praeacticum gratiæ, hoc est, suo usu ex opere operato sanctificans suscipientem; conjuges autem usu matrimonii non sanctificantur ex opere operato, disparitas verò quòd ad Sacramentum Eucharistiae sit, quòd hæc in fieri, seu dum fit, non sit Sacramentum, sed sacrificium, facta verò sit Sacramentum; quia usu suo sanctificat suscipientem. De cætero nihil ad rem facit, quòd in fieri non significet unionem Christi cum Ecclesia; cum ea significatio non probeat esse Sacramentum, quatenus illud est signum praeacticum gratiæ; sed solum esse Sacramentum, sumpto Sacramento latè pro signo rei sacræ divinitus instituto.

*Quæst. 82. An dum uterque conjux infidelis convenitur suscepto Baptismo, matrimonium illorum efficiatur Sacramentum.*

Resp. affirmari communiùs cum Sanch. l. 2. d. 9. num. 5. Rebell. l. 2. q. 6. concl. 1. Bellarm. l. 1. c. 51. in fine. Gutt. de mat. c. 42. n. 5. Laym. l. c. p. 2. c. 3. n. 6. Pirh. l. c. n. 71. E quibus Sanch. Gutt. Pirh. censent, eo ipso, quòd infideles baptizentur, effici Sacramentum sine alio novo consensu, intellige, expresso; de cætero namque tenent, ut expressè Pirh. eo ipso, quòd intendant baptizari, virtualiter & implicitè illos consentire in matrimonium præcedens, ut hoc sit indissolubile, adeoque Sacramentum, esseque hunc consensum Baptismo veluti signo externo expressum novam materiam & formam hujus Sacramenti. Alii eorum, ut Bellarm. Laym. censent, requiri novum consensum explicitum antiqui consensu approbativum, signis externis aut maritali copula expressum. E contra Castrop. l. c. num. 14. Valq. Tom. 2. in 3. p. d. 138. c. 5. Pont. l. 1. c. 9. n. 8. Cönninck. d. 24. du. 2. concl. 7. Pont. l. 1. c. 9. n. 8. censent tale matrimonium nunquam effici Sacramentum; eò quòd tales in contractu prius vinculo matrimonii perseverent, neque illud augeatur aut diminuat, sive de novo consentiant sive non, R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

vel etiam dissentiant; adeoque ex novo illo consensu (intellige, sive expresso, sive virtuali) non potest effici, matrimonium, & consequenter nec Sacramentum. Item quòd Sacramentum matrimonii tunc est, quando baptizati sibi mutuo tradunt corpora ad usum conjugalem, quòd non fit, dum infideles facti fideles renovant consensum priorem; jam enim corpora sunt tradita; adeoque per talem consensum approbativum prioris consensu seu traditionis corporum ea non traduntur. Quòd autem suscepto Baptismo vinculum illud jam prius contractum fiat ratum & indissolubile, non est ex eo, quòd à baptizatis denuo approbetur; sed ex eo, quòd Baptismo suscepto, cesset causa, ob quam aliàs dissolvi poterat, nimirum altero eorum renuente converti & baptizari. Ad hæc fideles reddunt matrimonium contractum omnino indissolubile per consummationem illius, & repræsentativum unionis verbi cum natura humana, absque eo quòd Sacramentum de novo conficiant & suscipiant.

*Quæst. 83. An fidelis baptizatus contraheus ex dispensatione Papæ cum infideli suscipiat Sacramentum.*

Resp. negativè: Sanch. l. 2. d. 8. n. 2. Valq. de mat. d. 2. c. 4. n. 10. Castrop. num. 11. Gutt. c. 42. n. 4. Pont. l. 1. c. 6. n. 7. contra Sorum in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. in fine. Less. hom. 73. de Sacram. Ratio est, quia Sacramentum matrimonii unicum est & indivisibile, sicut est unicus est indivisibilis contractus afficiens virum & feminam, sed Sacramentum non afficit infidelem; ergo neque alteram partem fidelem afficere potest. Verum quidem est, quòd in hoc casu fidelis verè contrahat, sed contractus ille non est simpliciter fidelis, cum etiam sit contractus infidelis; Christus autem illum contractum elevavit ad rationem Sacramenti, quia est contractus simpliciter fidelis, Apostolus verò I. ad Cor. 5. dicens; virum infidelem sanctificatum esse per mulierem fidelem, per hoc indicare non voluit, quòd matrimonium illud mulieris sit Sacramentum, sed quòd occasione talis matrimonii speretur virum convertendum & sanctificandum.

*Quæst. 84. An duo fideles contrahere possint matrimonium absque eo, quòd Sacramentum suscipiant.*

Resp. affirmant hoc ipsum satis probabiliter Rebell. de oblig. just. p. 2. l. 2. q. 5. concl. 1. Valq. Tom. 2. in 3. p. d. 138. c. 5. Pont. l. 1. c. 9. n. 3. Gasp. Hurt. de mat. d. 3. diff. 19. Fundamentum eorum est, quòd neque ex scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus constat, Christum ita conjunxisse rationem Sacramenti contractui matrimoniali fidelium, ut hi nullatenus possint contractum hunc separate à Sacramento, cum licet nequeat esse Sacramentum matrimonii, quin sit legitimus contractus, quia est ejus materia & forma, contractui tamen matrimoniali ea ratio Sacramenti non est essentialis, sicut licet Sacramento Baptismi essentialis sit ablutio & prolatio verborum, non tamen illi abluitioni & prolationi essentialis sit ratio Sacramenti Baptismi, quippe ex defectu intentionis ab iis separabilis. Ad hæc quòd contractus matrimonii censerit debeat validus, quoad nullibi in jure irritatur; sed nullibi in jure contractus ille fidelium absque intentione Sacramenti, sive à qua per intentionem absolute ratio Sacramenti est separata, invalidatur, imò ex c. fin. de condit. apposit. colligitur contrarium, dum ibi condiciones turpes et impossibiles à contractu

G

matri-